DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

TYPHI CURATIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES CARNEGIE,
Scoto-Britannus,
CHIRURGUS,
EXERCITUS BRITANNICI CHIRURGUS.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO, APUD D. SCHAW ET FILIUM.

MDCCCXIV.

VIRO EXIMIO

GEORGIO DON, ARMIGERO,

EXERCITUS BRITANNICI IMPERATORI;

COHORTIS NONAGESIMÆ SEXTÆ DUCI,

ET NUPER

INSULÆ JERSEY GUBERNATORI;

NON MINUS MORUM SUAVITATE DIGNITATEQUE,

QUAM BENEFICENTIA ET LIBERALITATE

ORNATO;

HOC OPUSCULUM,

OBSERVANTIÆ GRATIQUE ANIMI

PARVULUM PIGNUS,

OB PLURIMA IN ILLUM COLLATA BENEFICIA

DUM SUB EJUS IMPERIO MILITABAT,

D. D. C.QUE

AUCTOR.

5

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHI CURATIONE.

In hoc opusculo, meo in animo est pauca dicere, de curatione febris vulgò Typhi nominatæ: Militari chirurgo annos quindecim proximos, mihi contigit occasiones habere plurimas, effectus remediorum observandi, et comparandi in hoc morbo adhibitorum; præsertim ut sese in cohorte quinquagesima septima, et sexagesima secunda peditûm Britannicorum, dum in Anglia, Hibernia, et insulis prope Galliam sub potestatem Britanniæ redactis, collocatæ sunt.

Sub initio, Typhus aspectus varios induit, plurimùm in eadem regione, tempestate anni, ætate, constitutione, et habitu priori ægrorum, et præterea multis aliis rebus affecta : nihilominus, observatio diligens nos docuit, omnes illos in species duas magnas redigi posse.

In primâ, morbus signis omnibus frigidi stadii inordinati accedit, cui statim superveniunt calor major, et debilitas urgens ; aut excitatio * modica, quæ ante accessum debilitatis, tempore longiore, vel breviore existit. In secunda vero accedit, stadio frigido brevissimo, et gravissimo, quod statim excipit excitatio generalis, et major copia sanguinis ad organa quædem vitæ essentialia versus propulsa, atque in iis congesta, præcipuè in cerebro, et pulmonibus. In illa specie, nobis sunt exempla Typhi puræ ; in hac, Synochi : illius curationi animum præcipuè attendemus.

---

* De excitatione intelligo actionem auctam alicujus functionum, applicatione stimulorum notam.

DE CURATIONE TYPHI.

Progressus Typhi commodissime in stadia quatuor dividi potest; in primum, aut incipiens, quod ab initio signorum est, ad accessum usque excitationis auctæ; in secundum, quod excitatione aucta comitatur, et ab incremento caloris animalis supra gradum naturalem durat, quando pulsibus arteriarum plus est firmitatis, ad accessum usque signorum debilitatis; in tertium, quod debilitate comitatur, in quo vis vitæ multùm infra gradum naturalem declinat, et functiones omnes debilitate urgente insignitæ sunt, et inordinatè gestæ; et in quartum, aut convalescens, quod est ab initio functionum salubriter gestarum, ad reditum usque valetudinus secundæ. Ea divisio medicinam facienti utilissima essa invenietur.

Causa proxima febris adhuc in tenebris occultis latet, etiamsi multi medici clari eam detegere diu multumque laborarint; exinde igitur, nulla methodus certa curationis deducenda est. Est

tantummodo, mutationes morbidas, quæ in febre accidant, et effectus remediorum intento animo observando, ut methodum curationis rationalem instituere speremus.

In curatione Typhi hæc consilia formare licet.

1mo, Morbo obsistere.

2do, Si id non fieri potest, functiones omnes ita temporandum est, ut quam proxime ad conditionem earum naturalem appropinquent.

3tio, Vires vitæ in stadio debili sustentare.

4to, Ita functiones varias in stadio convalescente promovere, ut reditui sanitatis faveant.

5to, Signis quibusdam urgentibus occurrere.

DE PRIMO CONSILIO PERFICIENDO.

Febris tali natura est, ut, cum semel bene formatur, cursum sibi proprium teneat, in quo etiamsi certè allevarè, progressui ejus tamen non obsistere possimus. Stadio igitur primo, aut parte priore secundi, id est, primis diebus, tertio,

vel quarto febris, morbum adhuc vix bene formatum, medicamentis idoneis debellandum est. Quanquàm remedia potentissima interdum spem nostram morbo occurrendi fallant, nihilominus reliquum ejus decursum multo mitiorem, et breviorem reddant.

In hoc consilio primo complendo, stimulus quidam potens systemati applicandus est, qui statum morbidum mutet; deinde functiones primæ corporis, quam proximè ad conditionem earum sanam redigendæ sunt. Ad quas res perficiendas, remedia singula utilissima, et efficacissima indicabimus, deinde conjunctionem eorum utilissimam, et ordinem ostendemus.

Contagium fons est magnus Typhi, quocunque modo in systema intromissum, cerebrum et nervos directè afficere videtur, per eos, principium vitæ minuere, eique injuriam afferre, unde oritur actio morbida functionum corporis omnium; ex quibus autem, conditio organorum digestionis, et summæ cutis, sibi attentionem nostram in Typhum curando, præcipuè vindicat.

In Typho functiones organorum digestionis,

vel concoctionis, primo, vitiis multum implicitæ sunt, actiones ventriculi minui, secretio ejus vitiari; actio intestinorum tam tenuium, quam crassorum minui, et mutari videtur, Hepatis quoque et Pancreatis secretiones pari modo affici; hinc fæces in intestino crassiore male concoctæ, et formatæ, diutiùs retentæ, res systematis vitiatas secum auferendo inhabiles sunt: est enim bene notum quicquid partium corporis aut corruptum, aut vitiatum, vasis lymphaticis absorberi, in sanguinem vehi, et simul cum fæcibus, vel urinâ, vel halitu cutis, vel pulmonum, ejici. Cujus notitia medicinam facienti utilissima est. In primo stadio defectus exhalationis per cutem, unde oriatur incrementum caloris animalis, attentionem medici præcipuam postulat.

Primum consilium efficiendum est Emeticis, Purgantibus, Affusione aquæ frigidæ, Diaphoreticis, et Diluentibus.

1mo, *De Emeticis.*—Omnium remediorum adhibitorum ad febri occurrendum, nulla tantum commodi, quantum emetica ferunt. In casibus Typhi lenibus, ut ea, alvo postea purgante

ductâ, morbo semel occurrerent, sæpissimè videbamus; in gravioribus commodum notabile afferebant: emeticum repetere post intervallum horarum quatuordecim, vel viginti quatuor, allevationem interdum adhuc notabiliorem afficiebat, præcipuè cum vomitus antea non plenus erat, aut cum signa ventriculum valde gravatum esse indicabant; tum emeticum secundum vomitionem plenam faciebat, et ferè multum bilis plerumque vitiatæ ejiciebat, quo signa omnia morbi levarentur.

Emetica in stadio primo, et secundo præcipue adhibenda sunt; interdum tamen postea cautè adhibeantur, sed plerumque non; quia vires ægri nimium exhauriunt, et vomitum perpetuum movent: neque illis uti oportet, cum sanguinis copiosior impetus caput versus adest, nisi evacuationes idoneæ antecesserint.

Effectus vomendi tribus capitibus attribuendi sunt; primo, organis digestionis; secundo, summæ cuti; et tertio, toti systemati.

Vomitus ventriculo onus insalubre submovet, eumque ad actionem magis salutarem inducen-

dum stimulat; effectus ejus duodeno, hepati, et pancreati impertiuntur; illius contenta morbida evacuantur, dum hæ glandulæ ad functiones suas magis naturaliter perficiendas stimulantur, quo sanguis venæ portarum, et organa secernentia ipsa actionem auctam recipiunt, quibus reliqua abdominis viscera, quæ stimulo eodem quoque excitantur ad functionibus rite fungendum, adeo pendent.

Vomitus generi nervoso impetum magnum dat, qui effectibus contagii in systemati obviam eat, adeoque febri occurrat; circuitum sanguinis quoque accelerat, et vasis exhalantibus sub cuticula sanguinem majorem propellit, quod simul cum actione meliore ventriculi ex sympathia oriente, ac summæ cuti impertitâ, plus minusve spasmum vasorum extremorum solvit, atque functionem cutis magis salutarem inducit. Itaque circuitus sanguinis æquabilior, et signis gravibus evanescentibus, regularior fit, quo partes omnes corporis æqualiter sanguine suppeditarentur.

Emetica plerumque in usu sunt præparationes

Antimonii, et Ipecacuanha: Tartritidis Antimonii granum unum in aquæ unciis duabus solutum omni hora quadrante adhibeatur, ad vomitum plenum usque movendum, qui diluentibus blandis adjuvaretur, nullis rebus vero mechanicè utendis.

Ipecacuanha vel per se, vel Tartritidi Antimonii conjuncta, adhibeatur. Ipecacuanhæ grana quindecim, grano uno Tartritidis Antimonii conjuncta, vomitionem vehementem movent.

DE PURGANTIBUS.

Purgantia olim, ex metu debilitatis, raro adhibita erant, nostro tempore tamen sæpe: maximum auxilium militibus cohortis, cui primò adjunctus eram, ferebant. Quanquàm enim purgantia per se raro, si unquam, febri occurrerent, nihilominus ex usu maximo et conspicuo esse, non solum ad alvum ducendam, verum etiam ad signa febris leniora red-

dendum, videbantur. Medicamentum enim purgans, cautè repetendo, actionem intestinorum regularem, et naturalem instituimus. Initio morbi alvum bene semel bisve ducere convenit, deinde plus minusve facilem pro re nata tenere.

Purgantium administratio conditione corporis generali, abdominis, linguæ, et fæcibus ipsis dirigenda est. Si dejectionibus singulis signa mitiora, et incrementum virium accedunt, faustum est; et nobis suadet purgantia cautè repetita continuare, usque dum nihil tumet abdomen, lingua mundior, et fæces naturales colore et odore fiunt. Sin autem dejectionibus debilitas supervenit, infaustum est, et usus purgantium statim intermittendus.

Purgantia eo modo cautè et cum cura administrata certè functiones omnes ventriculi promovent, secretionibus jecinoris, pancreatis, et omnium intestinorum favent, materiam inutilem et fæculentam expellunt, et, irritamentis ita sublatis, allevationem anxietatis febrilis, capitis doloris, inquietudinis, et caloris morbidi,

sensim proferunt, atque valetudinem secundam reducunt.

Purgantia optima esse videntur submurias Hydrargyri, Jalapa, et sales medii. Submurias Hydrargyri vel per se, vel pulveri Antimoniali conjunctus, commodum maximum facere, secretionem morbidam intestinorum melius, quàm alia remedia, evacuando, visus est. Sales medii quoque utiles sunt aut per se, aut cum submuriate Hydrargyri alternati. Enemata purgantia, non in parva, sed magna quantitate, per anum infusa clystere amplo, et idoneo semper remedia utilia et efficacia erant: propterea quod fæces duras et vitiatas multas, idque etiam postquam alvus purgantibus liberè ducta esset, secum auferebant.

DE AFFUSIONE AQUÆ FRIGIDÆ.

Inventus legum, quibus aqua frigida tutò ad febricitantem applicanda est, arti medicæ dat additamentum maximum, quod temporibus

recentibus accepit. Applicanda est duobus modis, vel affusione vel lavatione: affusione tantummodo, ut consilium primum compleamus, utendum est.

Affusio aquæ frigidæ in stadio febris secundo solummodo admittenda, et tum, vomitione, et purgatione præeuntibus, sæpe, quasi incantamentum, morbo occurrit; si non, cursum ejus tamen mitiorem, et breviorem reddit. Sin autem evacuationes non præivissent, affusio vix unquam febri occurrere, aut ejus signa meliora et cursum breviorem reddere videbatur.

Has leges accuratè observemus necesse fit, antequam affusio aquæ frigidæ admittenda est: primo, calorem animalem evidenter esse constantem supra gradum sanitatis; secundo, febricitantem nihil horripilationis vel frigoris sentire; et tertio, nihil sudoris generalis adesse.

Modus affusione utendi facillimus est. Febricitans e lecto fertur, atque super sede ponitur, vel stat duobus adjutoribus sustentatus, dum interea alii duo adjutores, unus antè, alter

ponè, aquæ frigidæ situlam in caput, et totum corpus febricitantis, eodem tempore subitò infundunt, alia situla aquæ, si opus est, partibus inferioribus jactetur; dein æger leniter fricandus est, et in lectum reponendus.

Affusio, effectibus ejus ferè cito transeuntibus, quotiescunque calor morbidus redierit, sub legibus supra memoratis, seu die, seu nocte, præcipuè vero exacerbatione nocturna, repetenda est.

Aqua frigida eo modo applicata, systemati febricitantis impetum dat vehementem: summa cutis frigidior fit, et sese paululum contrahit, pulsus languidior et debilior, et respiratio suspiriis pro tempore parvulo interrupta gravior evadit; sanguis quoque in vasis magnis internis accumulari videtur; et tremores totius corporis, et debilitas adsunt.

Modum agendi rationalem exponere, quo aqua frigida febricitantis corpori applicata effectus salutares inducit, difficillimum est. Affusio excitationem generalem haud parum minuit; cerebro, et toti generi nervoso impressio-

nem magnam communicat, qua principium vitæ, sive vis medicatrix naturæ, ad actionem fortiorem et salubriorem exercendum excitatur. Hinc cor, et arteriæ magnæ accumulatione sanguinis distenta, et stimulata sanguinem in vasa extrema cutis propellunt; quæ spasmo soluta exhalationem per cutem ejiciunt, quæ secum calorem morbidum aufert, adeoque minuit. Secretiones quoque omnes magna ex parte actionem salutarem accipiunt; irritatio magna multum minuitur, et signa urgentia allevantur; sitis, capitis dolor, delirium, inquietudo generalis, et oppressio febrilis, imminuta sunt.

DE DIAPHORETICIS ET DILUENTIBUS.

Usus horum remediorum partem primam curationis Typhi semper constituit; post alvi ductionem sæpe mihi contigit, morbum videre usu illorum finitum, etiamsi dies aliquot duravisset, signa graviora ostendisset, atque remediis omnibus cedere recusavisset.

Præparationes Antimonii, præcipuè pulvis Antimonialis, huic rei adhibendæ sunt. Pulvis Antimonialis, evacuationibus idoneis antecedentibus, dosibus parvulis sæpe repetitis, plerumque diaphoresin generalem elicit, quæ, diluentibus tepidis promota, signa minuit urgentia, cursumque ejus curtat. Usus pulveris Antimonialis minimè affusionem et lavationem aquæ frigidæ vetat. Contra, alter alteram primo auxiliatur, post vero sudoris effusionem, affusio et lavatio omittenda sunt.

Illa sunt remedia singula, quæ ad consilium primum complendum in usu quotidiano sunt. Utrumque per se quibusdam medicis laudatum est, propter efficaciam febri occurrendi. Cognitio virium eorum conjunctarum investigationem utilem et jucundam instituit.

Emetica maximi momenti in consilio hoc efficiendo semper inveniebamus, præcipuè cum illorum effectus cum illis purgantium comparabamus: casus enim emeticis tractati, et purgantibus secutis semper breviores et mitiores, quam illi purgantibus solummodo, tractati.

Casus emeticis et purgantibus tractati multo plus commodi attulerunt, quam qui affusione sine evacuationibus idoneis antecedentibus tractabantur.

Casus dosibus magnis et repetitis pulveris Antimonialis tractati exitum faustum habebant. Ventriculo enim et intestinis bene evacuatis, diaphoresis secuta est, et morbum mitigavit et curavit. Conjunctio tempestiva et prudens, vel successio eorum remediorum fructum maximum semper intulerunt.

DE CONSILIO SECUNDO.

In hoc functiones omnes ita temperandum est, ut quam proximè ad conditionem earum naturalem appropinquent. Hoc stadio actionem auctam generalem primò moderari, et minuere laborandum est, deinde functionibus singulis morbidis temperandum.

1mo, Actionem auctam generalem minuere, necesse est febricitantem in lecto tenere, in cu-

biculo amplo bene aëri exposito; in hieme aër frigidus cubiculo admissus temperiem ægri satis fortasse diminuerit; tempestate calidiore rivulus aëris per cubiculum transeundus, quod aceto et aquis stillatitiis aromaticis fumigandum est. Febricitans stragulis paucis tegi, mundissimus teneri, luce clara, et strepitu, et exercitatione sive corporis, sive animi diligenter amoveri debet. Alimenta ex aqua hordiaceâ, avenaceâ, cicade circinali, oryza, radice sagittaria occidentali, fructibus recentibus, et pomis vel assis vel elixis constarent.

Potus ægri ex aqua frigida, vel decocto hordei vel avenæ, acido vegetabili acidulato, vel theâ frigidâ tenui, sero lactis, vel ex infuso herbarum jucundarum constaret.

2do, Functionibus quibusdam morbidis temporare.

Remedia antea dicta ex usu maximo sunt ad excitationem corporis generalem minuendam; hoc autem efficaciùs effecimus, actionibus functionum particularium, scilicet summæ cutis, intestinorum, et signis urgentibus, temperando.

Primò, De functione summæ cutis. Hìc, consilium nostrum est primò calorem animalem morbidum minuere, deinde exhalationem per cutem liberam restituere.

Calor morbidus, qui excitationem corporis generalem movet et sustentat, omnibus rebus medicinæ præter quæ suprà commendatæ sunt, minuendus. Ad hoc efficiendum, affusio aquæ frigidæ interdum bene respondet; lavatio tamen summæ cutis aqua frigidâ et aceto plerumque melius in hoc stadio febris respondebat, quia excitatio corporis et calor morbidus raro adeo magna sunt, ut impetum fortem affusionis frigidæ desiderent. Satis est, igitur, superficiem corporis spongiis aquâ frigidâ madefactis lavare, atque hoc repetere quoties opus sit. Aqua enim, in vaporem calore morbido conversa, secum caloris superabundantiam gradatim aufert.

Hieme anni 1812, mihi occasiones multæ accidebant affusionem et lavationem in hoc stadio comparandi. In plurimis casibus cohortis LXII militaris, temperies ad gradum 104 et

105 Fahr. noctu surgebat, atque delirium aderat, quod affusioni frigidæ cedere recusabat; temperies quoque affusione solitâ uno gradu solummodo, ut thermometrum sub lingua ostendebat, diminuta est, sed tertia horæ parte iterum surgebat, et delirium intendere videbatur. In aliis casibus ejusdem febris, aqua frigida et acetum spongiis febricitantibus applicata, et omni horâ repetita sunt, et effectus felicissimos induxerunt; delirium enim, et temperiem morbidam minuerunt, morbumque breviorem et leniorem reddiderunt. Affusio igitur omissa est, et lavatio solummodo exercita.

Diluentia frigida et blanda, in calorem morbidum minuendo, auxiliantur; semper igitur ad libitum et ægri desiderium admittenda sunt.

Diaphoretica quoque halitum cutis promovent, atque calorem morbidum quodammodo minuunt. Dosis parva pulveris Antimonialis, vel aquæ acetitis Ammoniæ, intervallis idoneis repetita, vel per se, vel simul cum lavatione aquæ frigidæ, alternatum remedium utilissimum.

est: diaphoreticum et lavatio sese mutuò adjuvant.

De Alvo facili.—In hoc stadio quoque, alvum tenere facilem maximi est momenti: ad hoc doses parvæ et repetitæ salium mediorum, vel submuriatis Hydrargyri, vel enemata, bene respondent.

De consilio tertio, vires vitæ in stadio debilitatis sustentare. Hoc efficiendum est rebus stimulantibus et tonicis.

1mo, *De Stimulantibus.*—Stimulantia, sicuti vinum, spirituosi liquores, Ammonia, Camphora, Opium, Moschus, Æther Sulphuricus, Aristolochia Serpentaria, et Dorstenia Contrayerva, vires systematis sustentant.

Ex his omnibus vinum stimulum utilissimum corpori præbet. Illud aquæ quantitate eadem dilutum, vel ægris infirmioribus merax adhibeatur; si aliquid adhuc fortius postulatur liquoris Anglice *Brandy* dicti cyathus, plus minusve aquâ diluti, porrigendus est. Hic liquor interdum vino utilior erat. Vinum vel liquor spirituosus, parvis dosibus, alternis horis, vel

tertia quaque hora, repetitis, secundum ejus effectum, signa urgentia allevandi, dandum est; vel alternè, et vinum et spiritus porrigantur summo cum fructu ægris debilissimis, ut sæpe notavimus. Alii liquores, sicuti cerevisia fortis, vel Anglice *Porter*, interdum utilissimi sunt, atque in loco vini bene respondent. Alia remedia, auxilia commoda, præsertim cum agitatio corporis et subsultus tendinum adsunt, invenientur.

2do, *De Tonicis.*—Tonica utilissima sunt Cinchona officinalis, acida mineralia, et aqua tepida summæ cuti spongiis applicata.

Cinchona officinalis nonnullis medicis multum diuque adhibita est; sed quantum observare potuimus, neque in pulvere, nec infuso, nec decocto, in hoc stadio respondebat; ventriculum enim gravabat, fastidium et nauseam ejus, et profluvium alvi vel constipationem faciebat.

Acida, vel Sulphuricum vel Muriaticum, in hoc stadio simul cum potu communi bene diluta, parvis et repetitis dosibus, sitim et irritatio-

nem ventriculi et intestinorum sedant, fibras vasorum constringunt, ideoque secretiones morbidas, et quasi putridas impediunt.

In hoc stadio calor morbidus sæpe maximus est; etiamsi circuitus sanguinis debilis et languidus sit. Superficiem ægri lavare partibus æqualibus aquæ bullientis, aceti, et Alcoholis ex usu esse maximo semper inveniebamus: hoc, secundum signa urgentia et ejus effectus, seriùs citiùsve repetendum est.

DE CONSILIO QUARTO.

Functionibus in stadio convalescente ita temporare, ut reditui valetudinis secundæ faveat.

Post febrem gravem et longam æger tarde convalescit, sese leniter pro viribus exercere debet, primo in vehiculo, deinde super equo, et tum ambulando, quod omnium optimum est.

Diæta tenuis, nutriens, et facile concoqui debet, quia organa digestionis adhuc debilia sunt;

jusculum bovinum cum pane fermentato, gelatina, sive jus e carne vitulina concretum, pisces, et caro pullorum gallinaceorum, et similia, maximè conveniunt, et paulatim ad cibos solitos revertatur. Cum autem ventriculus debilis est, parum ciborum uno tempore sumendum, sed pro appetitu repetendum est.

Potus ex vino rubro et aqua, vel liquore fermentato constaret, ad reditum usque valetudinis secundæ.

Tonica, sicuti decoctum vel infusum Cinchonæ officinalis, deinde ventriculi fortiore pulvis adhibendus pro viribus ventriculi: infusum Anthemidis nobilis vel Gentianæ Luteæ magno cum commodo adhibenda sunt; cum quorum usu tamen facilis tenenda est alvus purgantibus, si opus sit.

DE CONSILIO QUINTO.

Signis gravibus et urgentibus occurrere.

Capitis dolorem et delirium, aqua frigida ca-

piti, vel emplastrum meloës vesicatorii nuchæ, vel dorso inter scapulas applicata, fere semper submovent: tractatio stadii secundi generalis illa signa sæpe tollit. Emplastrum epispasticum summo capiti applicatum, et vinum, delirium cum murmuratione auferunt.

In fine stadii tertii congestio sanguinis in pulmonibus fit, respiratione laboriosa et gravi, facie purpurea, et pulsu celeri debili et inordinato indicata. Hoc accedit debilitate cordis et arteriarum, quæ, sanguinem per pulmones propellendo, inhabilia videntur. Hic, stimuli potentissimi, sicuti vinum et spirituosi liquores meraces vel parum diluti, Camphora, liquor Ammoniæ, adhibendi, et pro re nata repetendi sunt, emplastrum meloës vesicatorii sterno statim applicandum. Mors tamen plerumque supervenit.

Cum æger tarde convalescit, et vultus pallidus, subflavus, et languidus est, appetitus quoque debilis, et pene nullus, sitis, concoctio tarda, et alvus adstricta, sunt; præter rationem curandi antea dictam, sæpe commodum

valde notabile, granum unum submuriatis Hydrargyri, vel pilulam unam Hydrargyri omni nocte, dein, paulo post, altera quaque nocte adhibendo, observavimus. His remediis valetudo bona redibit.

In febre longa et gravi, partes in quibus jacet, et nititur æger, interdum inflammatione et gangræna tentatæ, in sphacelum abeunt: auxilium chirurgi petere necesse fit. Quum hoc metuendum est, ei occurrendum emplastro resinoso partes tegendo.

Ad subsultum tendinum sedandum, antispasmodica, præcipuè opium dosibus parvis et repetitis, utilia sunt.

Ischuria vesicalis, quæ interdum in stadio tertio Typhi evenit, dosibus largis et repetitis Ætheris Nitrosi aquâ misti removenda, et regioni vesicæ, urinæ et genitalibus fomenta quàm calidissime applicanda sunt; et denique catheter, si opus sit, ad urinam educendam adhibendus.

In Typho somnus fere abest, quo nihil citius certiusque irritationem sedat, et vires vitæ re-

novat. Somnus igitur opio inducendus, non tamen antè evacuationes idoneæ antecesserint, quia tum opium signa graviora redderet, et nihil somni inferet; post verò evacuationes idoneas, quibus excitatio corporis aucta multum minuitur, dosis plena opii somnum jucundum inducit. Somnus quoque plerumque affusionem frigidam et lavationem etiam subsequitur.

Talis methodus stadia diversa Typhi tractandi est, qualem suprà quam brevissimè exposuimus: nunc mentionem de eorum remediorum conjunctione, et successione utilissimâ, facere restat.

Primo, febricitanti, frigore et calore alternantibus, in lecto jacenti emeticum ex Tartritide Antimonii statim dandum, deinde diluentia blanda et tepida; et tum post vomitum, ventriculo quieto, purgans ex submuriatis Hydrargyri et pulveris Antimonialis utriusque granis quinque compositum adhibere, et omni hora quarta, donec alvus responderint, repetere convenit: vel bolus ex pulveris Jalapæ scrupulo, et submuriatis Hydrargyri granis quin-

que dari, et pro re nata repeti potest. Si febris adhuc perstat, affusioni frigido, et parvis dosibus pulveris Antimonialis, alterne decurrendum est. Sin autem febris, affusione quater vel quinquies post intervalla idonea repetita, non abrumpi videtur, lavationem frigidam, et doses parvas et repetitas Antimonialium, alternè administrare utile erit: dum eodem tempore alvum facilem tenemus, et signa urgentia allevamus. Quam primum debilitas sese ostendit, ei vino, aromaticis, stimulantibus, et tonicis antea memoratis, occurrenda est. Cibis, potu et exercitatione, utriusque tempore idoneo, moderandum est.

Signa urgentia utriusque stadii morbi, quibus statim medicum diligenter occurrere decet, notanda; et ratio medendi generalis ad reditum usque valetudinis secundæ continuari debet.

FINIS.